



Occasionalia VI-179.  
potissimum carmina  
vol. Fafe. 19. ~~19.~~

Centuria quatuordecim.

Unq

VI-179.



19

MANES RUTHENICI

*Sive*

OBITUS

*Illustris ac Generosissimi DOMINI,*

**DN. HENRICI**

**Jun. & h. t. Senioris**

**RUTHENI,**

**Dni. à Plavià, Dynastæ Graitziæ, Cra-  
nichfeldI, Geræ, Schlaizæ, & LobensteinI, &c.**

*S. Cæsareæ Majestati à Consiliis &c.*

*Inter ceteras ingentes virtutes Musarum Patroni*

*incomparabilis,*

*QUI*

**III Non. Xb. Anni clō lōC XXXV. in.**

**arce ad Elystrum Dominicâ accidit,**

*In celeberrimâ Vittebergensium Academiâ VII<sup>a</sup> Iduum*

*Februarj 1636. cum pridie Non. ante Geræ magnificentissimis exe-  
quiis peractum esset funus,*

*Ad*

**Amplissimum Patrum Academicorum**

**confessum,**

*publicè*

**In Auditorio Majori decantatus ac deploratus,**

*Ab*

**JOHANNE NOLLIO Torgensi.**



**WITTEBERGÆ,**

**Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.**

**ANNO MDGXXXVI.**





ILLVSTRIBVS ET GENEROSISSIMIS  
DOMINIS

DN. HENRICO II.

DN. HENRICO III.

DN. HENRICO IX.

DN. HENRICO X.

*Fratribus Germanis,*

Dominis à Plaviâ, Graitziæ, Cranichfeldi, Geræ,  
Schlaiziæ, & Lobensteinl &c.

*Divi HENRICI τὸ μακαριώτερος FILIIS,  
DOMINIS suis Clementissimis*

Hos beatos  
Parentis Maximi manes devoto & demis-  
sissimo animo

*In mei studiorumq. meorum com-  
mendationem.*

O.

JOHANNES NOLLIUS  
Torgensis.





**D** Robustres animi, nec sanguis degener ortu,  
Stirps Divum, genitura Deos, si Martia  
vobis  
Laurus odoratos, vatumpia munera, flores  
Abneget, execrata diu, suagermina Phœbi  
Consecrat, & multos laudem consignat in

Seu tibi Battavica referas spectacula terra (annos,  
Et quæcunque agiles attollit gloria Celtas.

Seu fasces proavum nulli splendore secunda  
Iam verses, populosque tuos, & legibus urbes  
Instituas instar moderantum cuncta Deorum,  
Denique seu molles repetas conscendere cælos,  
Rimarique Deos, quæ non Ægyptia Memphis  
Edocuit visu, numerisque valentibus astra:  
Has pueri lachrymas, si vel terrestria tentas  
Perlege devotas, & grandia nomina disce  
Factaque fortunisque patris, qui gaudia versat  
Ante diu sperata sibi, & suspiria damnat  
Omnia, quæ misero rapiunt mortalia motu.

Non nostros equidem gemitus, sed & Albias omnis  
Quos tacito secum concepit pectore, Divi  
De Patris HENRICI memorando funere, canto.

Quanquam immortales penitus evolvere laudes  
HENRICI, & tantos moliri mente paratus  
Non pudor ingenuus sinat, & non tollat inanem  
Fors ita cæca animum fiducia; tenuia servi  
Vota sed amplecti placido dignaberis ore.

Illustres virtute Viri concedite, & olim  
Cum mihi vel juvenans pectus firmaverit ævum,  
Osq; plena virum, primi vos Solis ab ortu  
Solis ad occasum studiisque armisque potentes



Laudabo proceres. Cæli Respublica namque  
Vindictis secunda novis, & patria magnos  
Suspicient pietate patres, vos jure recensens  
Eunomie indomito verum, vos castior ætas,  
Vestraque victuris despondet nomina chartis,  
Pollentque æternis æquari patribus anni.

Nunc sanguis Generose Deum tua vulnera leni  
Quæ dolor excierat, tantis tranquillus in undis  
Stas copulus, sortisque minas, ac nubila temne.  
Secula lata tuis & non ingrata senectus  
Auspiciis currant, dum postremo Atropos ungue  
Invidiosa suis abrumpat stamina fufis.

IN

MANES RUTHENICOS  
JOHANNIS NOLLII,  
Præstantissimi Juvenis,  
ODE PINDARICA.

Στεροφή.

Ἦρωα θεῖον, ἄωντον ἡρώων  
Εὐωνύμων θ' ἅμα καὶ πατέρων,  
Ὀρθοπολίων, ὧν  
Μὲν ἄνησε κλέος ποτὲ  
Πλαυίας ἐν ἀρέραις,  
Εὐθυμάχῳ τε Ζιγερρύκῳ,  
Ἴνα τόλμασαν αἰχμαλῶ γέ  
Νόω κρατίστῃς ἰδὲν ἀντίστῃς,  
Ῥεθῆνον κύριον εὐσεφάνων ἀγυῖαν,  
Ἴπποχάριμαν, ἀδυεπῆς  
Ἄδει Νολλίου Μοῖσα,  
Τῷ μέλλοντ' ἐμφυτεύουσ' αἰῶνι.

Ἀντιστεροφή.

Ὅσα Μάρων ποθ' ὁ θεῖος, πόντος ἴε  
καὶ τῆς γέας πέραν, αἰετός ὧς,  
Πολλάκις ἐπαίθη  
Ποτανᾶ μαχανᾶ, διό-  
ξας καὶ ὄπλα καὶ ἄνδρας.  
Τὲ γὰρ ἔκαλε, χρυσέας Μάρως  
Κρατερὸν ἀνέριμα, Δαδαρινίδα τε,

Ῥηλάν




Ἐβηλεν ἐπι, τηλεθῆσει θ', ἕως  
Ἄν ρεύσῃσ' ὥστε ῥόθ' Θεῶ, ἀμβρότων ἑ-  
πῶν ἐκεῖνα παγά. Ἀποι-  
χομένε Φωτός, ὕμνοι σο-  
φοὶ Μοισῶν υἱοί, ἀρχαὶ τέλλονται

Ἐπωδός.

Λόγων ὑψέρων,  
καὶ πῖσιν ἀκίνδων θ' ὄρκιον  
Ἄρεταῖς ὑψηλαῖς. Αἴς μᾶν  
Ἐκ Θεῶ φλέγοντα τόσον, ἀνέει δῖκα τὸν ἥρωα  
ΔαμόνιⓄ Νοθίς γόνⓄ,  
Ἐν θ' ἀλίς δίδωσ' ἐμβεβακέναι  
Κελεύβοις λῆμα Κοιρανῆ κα)  
ΚλέⓄ, ὃ γε Μοισῶν ἐλέξατ' ἐν κάποις μάλισα.  
Ὅπ' ῥῆθῆνⓄ, σμινὸν κα) γενναῖον ὄνομα,  
Θνατὰ περιρτίλας ποτε  
Μέλη, Φεύγει πάρας ὑψέραισιν ἐν ἀμέραις  
Τεθμὸν ὀλέθερ,  
Νέω τῶδ' ἀναθήσομεν αἰοιδῶ.

M. JOH. ERICUS OSTERMANUS,  
Coll. Phil. Adjunctus,

IN  
EOSDEM.

 *Anes extollis Rutheni Principis: ergò  
Hic cum sit magnus, magnus est ipse mihi.  
Seria res agitur: cantatos perlege versus,  
Quos satis ingenium prodere posse puto.  
Excole, quam venam largus largitus Apollo,  
Vt quondam ponas grande Maronis opus.*

Ita de suo amico,  
ex animo

M. MICHAEL WENDLERVS.

A 2

RECTOR



R E C T O R  
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS  
DANIEL SENNERTUS, D. Facult.  
Medicæ Professor, ac Senior, & Sereniss. Elector.  
Saxon. Medicus.  
CIVIBUS ACADEMICIS. S. D.

**V**etus poëtarum provincia est ab antiquissimis usq; temporibus, magnorum virorum celebrare laudes, & quicquid illustris exempli emittit, ac quasi transgressum est conditionem communem, perennitate carminum ad posteros propagare. Ut habeant scilicet elegantes animæ, non modo in quo honestè oblectent otium suum; verum & quod sequantur postea, ac imitando rursus exhibeant. Neque enim hoc tantum spectant sacri vates, ut suavitate numerosæ dictionis capiant animos, & quadam inutili voluptate perfundant; sed ut vitam ac mores hominum ad veras rationes agendi instituant, adeoq; virtutem eandem induant iis, quam canunt. Hoc nobilissima Poësis Homeri; hoc divinum Maronis carmen pertractat & agit. Nec alio fine Sophocles, Æschylus, Euripides ingressi sunt scenam, quam ut præclara facta Regum, aut scelera etiam, spectanda coram & intuenda populo proponerent. Illa quidem, ut pulchritudine suâ atque præstantiâ moveant animos atque inflamment, quò imitari instituant, quicquid fuerint admirati ante: hæc verò, ut deprehensâ & execratâ eorum deformitate justum odium adversus ea concipiant. Est enim magna omninò gravis atque ornata orationis vis ac potestas: & nescio quos stimulos tacitos, quas faces veluti habeant carmina, ut & magis penetrent animos, & vehementius eosdem incendant. Quo fit, ut sæpè melius de genere humano prudentes Poëtæ, quam ipsi Philosophi mereantur, qui orti ex illis. Nam cum præceptis agant rem, & venustatem orationis parùm curent, accidit, ut ratio eorum ferè ingrata ac inamœna sit, nec semper satis efficax, cum monstret tantum quid turpe, honestumvè factu fuerit, non flectant autem, & vel invitent suaviter, vel cum auctoritate quadam deterreant. Contra ea, dum docent exemplis Poëtæ, quibus naturaliter capiuntur homines; atque hæc non inornata ac nuda exhibent; sed floridâ & numerosâ oratione vestiunt, ac pingunt, fieri non potest, quin feriant illiciantq; animos, ac hinc dulcedine subeant, hinc majestate percellant. Quot maximarum virtutum exempla in Illustri & Generosissimo Heroe, HENRICO RUTHENO &c. qui Decembrij proximo decessit vitâ, effulserint, & famâ ipsâ constare potest, atque nunc nuper ex cathedrâ publici exequiali oratione explicatum est. Videbatur & Ornatissimus Juvenis JOHANNES NOLLIVS Torgensis non certè acturus actum, si eosdem Dynastæ Illustris manes heroico carmine salutarer. Neque enim ingens aliqua atque eximia virtus semel tota exponi, tota declarari ita potest, quin multa relinquatur aliis, quæ in ea admirentur & colant. Atque cum inter cæteras res, quibus excelluit plurimos in ista fortuna ac præstitit Heros noster, magnum ipsius studium in literas, ac ingens bene de iis merendi cupiditas fuerit: non abs re existimavit Optimus adolescens, par esse cum maxime, ut omni literarum genere novi hujus Meccenatis memoria celebraretur. Nam cum jamdudum & ductu naturæ, & certâ ratione propositi, sic ordinaverit studia, ut aliquid temporis humanioribus quoque Musis & carminum amœnitati tribueret; eam potissimum sibi materiam deligere voluit, in qua periclitaretur ingenii vires, quæ & illustris maxime, & propria poëtarum cumprimis esset. Qui sui officii esse statuunt, non eos tantum, quibus obnoxii facti beneficiis, aut quodam alio jure devincti ac obligati sunt, sed quamvis virtutem præstantem, peregrinam etiam, & minus domesticam, suâ venerari industriâ, & quantum possunt à situ atque oblivione vindicare. Nostrum autem omninò est favere exemplis egregiis, eorumq; studere memoriæ; nec minus amplecti ingenia, juvareq; conatus, qui per se pulchri ac honestissimi sunt. Quapropter monemus Cives nostros, ut ad recitationem hujus eximii, nec abjecti spiritus carminis, quæ postea finitis sacris pomeridianis instituetur in Acroaterio majore, frequentes conveniant, eiq; benivolè intersint. Nec injucunda enim erit hæc auscultatio; & ipsa Illustris Dynastæ virtus efficere poterit, ut hoc officii genere promptè & perlibenter velut defungi. P. P. d. VII. Februarii Anno recuperatæ gratiæ clò 16 CXXXVI.

EPICED.





## EPICEDIUM.

**N**nocuos cineres, & magni nominis umbras,  
Et sibi quicquid humus non carpit, & abstrahit urna.  
Mœnibus æternis superùm, mundoque Deorum;

Quicquid adhuc superest HENRICI, sive peragret  
Stellarum segetes, sphæras quâ proximus Arctos  
Congerit, & sublimi Heroas adaggerat orbe,  
Ingentes animas: seu liber obambulet imo  
(Atrato exutus moribundæ carcere molis)  
Cardine, sub pedibus quem Styx, manesq; profundi  
Terrent, pallentesq; ubi Sol haut discutit umbras,  
Dicere Pierius menti calor incidit. At vos  
Illustres animæ, dudum quas fata Deorum  
Humanorum operum emensas alta omnia, supra  
Degeneres curas, semperq; natantia rerum  
Mœmina sustulerunt, ut jam, cœlestia turbæ  
Jura serenantes sacræ dominemini ibi inter  
Candentis famæ proceres; Ignoscite seruo  
Æquius ignaroq; viæ, insuetoque labori.

Et tu semideis Heroibus edita pubes,  
Ac genitura DEOS, ætas generosa Dynastum,  
Nobiliore satu procerum quos laudibus olim  
Inseruit patriis actarum gloria rerum;

Et tu, canities fausto Sennertia Phœbo  
Æmula, Pœoniâ qui comples arte medendi  
Solis utramq; domum, & rubrâ sub epomide nostri

Ardua

Tempore



IOHAN. NOLLII

Ardua Magnificus curas magmenta Lycéi;  
Tuq; Professorum series electa, sacрати  
Seu sacra Theologas dextrorsum codicis umbras  
Divinâ mentem expleta spiraminis aurâ  
Explicitas scriptis & vivâ voce recondis  
In juvenum mentes, jam quos cœlestia poscunt,  
Et sancti vates, & Ebreæ sensa loquelæ,  
Almaq; Relligio, patrumq; oracula sancta.

Civica seu docili respondes jura juventæ  
Ingenua, & pergis primaria jura profesum,  
Ardua rerum inter tractasq; negocia Baldi,  
A streæque petis cœlum ductrice Themiste;  
Seu fabrices validos vitæ mortalibus artus,  
Atque colos, & pensa trium pollentibus herbis  
Exoras nunc nunc avidarum in fata fororum;  
Sive cycli ingenuas memores septemplicis artes,  
Et grande illud ames sophos enucleare Lycéoi  
Tuq; Poëta sacris Academi insistere lucis  
Cui studium, auratosq; senis demittere in aures  
Cecropii monitus, & verba undantia melle.

Vos ô, quos virtus, artesq; & fama perennis  
Celsiùs arreptos ad summa sedilia, & amplis  
Demeritum meritis fastum pro more tulerunt,  
Este animis faciles, frontemq; exporgite, Patres.

Nunc vos seu clarum, Juvenes, natalibus ortum  
Ducitis, & titulos, priscæq; insignia famæ  
Nostis adimplendis fastorum condere sêclis,  
Seu decora & patrios laudis transcenditis æstûs,  
Nobiliusq; albis anteitis utrumque quadrigis,  
Sive alium, atque alium calor & mens saga per artes  
Ducit, & ingenuâ pergit virtute probatum,  
Appello. Este boni linguis animisque faventes,  
Flebimus illustres animas concedite luctu,  
Funere quas non Parca tulit, sed reddidit astris.

Debita sed mœstis renuerunt ocia Musis

Tempora



Tempora, secretumq; antrum, nemorumque vireta  
 Relligione patrum sacra, & aptos vatibus amnes.

Et nos Pausilypi tumulus, Paphiâq; redundans  
 Mergillina alibi myrto, Nereiaque turba  
 Noluit, & doctis Sebethes roscida lymphis.  
 Sed taxi nemus omne, & deplorata Cupressus  
 Obnubunt crines, & singultantia sufflant  
 Verba : nefas secus haut incesti Tereos Attis  
 Invitum gemebunda vocat ter & amplius, interque  
 Alituum cantus ululæ est attendere voces,  
 Nec semel argutos inter strepit anser olores.

Præfica tu mœstum funebri carmine lessum,  
 Melpomene memora, nostrisque adlabere cæptis,  
 Scilicet innumeris circumvolitantia formis  
 Damna Dei objecere homini, objecere labores  
 Haut gratos, mortemq; nigram infelicius ex quo  
 Iapeti genus æterno subduxit Olympo  
 Ignem fraude malâ, nec jamdum munere gentes  
 Damnavit proprio, ignaris mortalibus, ortas,  
 Carpitur in Scythicis qui callida viscera faxis.

Seu lapides vacuum quondam studiosior æqui  
 Deucalion, consorsque thori jactavit in orbem  
 Pyrrha, ferox hominum primò genus unde recoctum,  
 Pyrrha fuit quâ vix reverentior ulla Dearum,  
 Nimbifer ut centum fudisset Aquarius imbres,  
 Totaque delapso latuisset in æquore tellus.

Sive Dei ut patefacta canunt oracula flatu  
 Divino, & melius monumentis prodita Mosei,  
 (Nos aliter longèque aliter quibus enthea cordi est  
 Gratia, sentimus, quibus ilicet illa sacro  
 Sanguineis animam Christi de corpore guttis  
 Purpura lustravit, cœlique in scrinia sanxit.)  
 Postquam interdictos malè pastus ab arbore fructus  
 Sons primus, primusque humani sanguinis auctor :  
 Nam coluber Diti sacer, heu prout arbiter orci

B

Perdi-



IOHAN. NOLLII

Perditus insidiis, rerumque anfractibus orsus  
Trans se formârat, subolem telluris adegit  
Arboris illicitæ cœlestia carpere poma,  
Poma truci canos gustu læsura nepotes.

Protinus ex illo in triviis cantata malorum  
Ilias, & fortis lachrymosa tragœdia ferreæ:  
Ancipites sensere viri sursum atque deorsum,  
Fortunæ jacti fluctus; mox tristis Egestas,  
Mox labor insolitus, lachrymiarum atq; imber obortus  
Contemerare oculos, primùm terrorq; metusque,  
Invectumque nefas: alienâ lividum aduri  
Sorte, & torqueri curis, elidereque annos  
Inceptum est, hominique ægro ratione negatum,  
Fortuitum fluxum & cæcas distinguere causas;  
Morborum invisæ in terras cubuere cohortes,  
Et miseranda fames, spes, sexcentique dolores.

Qui tantas rerum series, qui mille labores,  
Non maris & terræ, numeroq; expertis arenæ  
Ille senex mensor, veterumque oracula Delphi,  
Nec Dodonæ memorent fata omnia quercus?

Postuma sic furti exagitant contagia aviti  
Secula natorum, & quantum nascetur ab illis.

Hinc, mortali è stirpe licet, licet æger alumnus  
Auræ, agrique, tamen mentem cœlestibus ortus  
Seminibus, jam jamque in luminis editus auras  
Despicit infidos moribundi corporis artus,  
Nasciq; invitus Numen testatur & astra,  
Explendo ingratas querulis vagitibus horas,  
Despectum in primo vitæque it limine vitam,  
Admonitus quasi Fortunæ quàm multa minantis  
Casibus, & diras expertus Numinis iras.

Bisaltæ occiduo rectâ subjecta Trioni  
Gens; & quos Rhæsi nutrit rus debile Thraces,  
Thraces gens acri quondam regnata Lycurgo,  
Horum ubi quisq; videt momentum ignobile vitæ

Lapsu-



Lapsuræ, & primos dantem de matre rubente,  
 Vagitus hominem, suspirantemque dolores,  
 Ingrato quondam patiendos Numinis æstu,  
 Exululant cuncti pariter, pariterq; querelis  
 Incendunt urbes, & planctum ad sydera tollunt.

Scilicet adversi memores, memoresq; laborum,  
 Et vita infans quot adæstuet ægra procellis.

Contra autem æternis cum quis concedere fatis  
 Ducitur, & facili sua præ se gaudia vultu  
 Testantes hilari capiunt dulcedine mortem,  
 Et sua felices decantant fata secutos,  
 Quippe mali quos finis, & ultima linea rerum  
 Mors rapit è tenebris, sanctâq; in sede reponit;  
 Quâ nec ferri acies usquam, nec densa tumultu  
 Castra, neque assensu conspirant cornua rauco.

Talia damnificis umbrarum obnupta tenebris  
 Jâpeti longo mala gens attenderat usu,  
 Tantaq; defuncti bona. Cœlitus orsa loqvuntur  
 Carmina quid nobis? mactari funera luctu  
 Præcipiunt æquo, quantum mortalia cedunt.

Quippe viri in gemitum lachrymis ne parcite multis,  
 Hoc pietas miserata jubet, quin fletis adæquè,  
 Illustres animas Domini, quem fama perennis  
 Per terram Oceanumq; rapit, suppostaque nostris  
 Sydera syderibus, quâq; augustissimus æther  
 Tempa Deum, & pariles distentat Juppiter axes.

Quis dolor ah miseris, & quæ modò gratia flendi  
 Continget? licet immensus sibi publica mœror  
 Argumenta parer, precibus dum poscimus umbram,  
 Præcipitesque colos querimur. Vis invida fati  
 Anxia nos vigili suspiria ducere fletu  
 Quî curas, quùm lectum Heroa senilibus annis  
 Mors rapuit, Pylas vel dignum attingere messes,  
 Et fati adscriptas ævo transcurrere metas,  
 Non cultæ Musis speciem miserata senectæ,  
 Non irata decus doctum lachrymabilis ævi.



IOHAN. NOLLII

6

Pallenti te dira dies produxit Olympo  
 Vecta pruinoso conjux Tithonia curru;  
 Obruta Tartareo peplo caput extulit undis  
 Triste jubar tumidis Dirarum mater, & Orci  
 Quas nox cunq; aluit, genuit quascunq; sororum,  
 Non erit inter tot signantes tempora soles  
 Ordo, sed obscuræ tibi lux dispendia noctis,

Lux patriæ, quæ fors te humanis eximit orsis,  
 Terrarum & toti tantum decus invidet orbi?  
 Proxima quem virtus Diis, & sapientia cœli  
 Egredsum fines rerum, primasque tenentem,  
 Quos pauci coluere senum, altâ sede locarat,  
 En præses vittas laurumque â vertice damnans  
 Triste fremit, tripodemque fugâ detrectat Apollo!

Ipse parens, tuus ipse parens, pars debita cœlo  
 In quo sancta fides atq; intemerata bonorum  
 Congeries, prisciq; fuit sententia recti,  
 Ultima jam vitæ certus sibi fata parari  
 Defessos adeò usque oculos ad sidera tollens  
 Cœlestumq; arces superas, atque aurea recta  
 Ingemuit, talesque emisit pectore voces:

Omnipotens rerum pater, indescripta potestas,  
 Qui mare, qui terras, ardensq; & inane quaternis  
 Semina conjugis sociata, poliq; quod ultrâ est,  
 Conficis ætherios tenuisse decemplicis orbes  
 Æterno imperio, venturaque secula condis:  
 Te mea si qua valet miseris vox ultima poscit  
 Suppliciis, tua si rerum mens provida porrò  
 Tempora disponet, summumque per aëra cœli  
 Dispositis anni ætates circumglobat astris,  
 Extimus hem! reputor generis, dum tristior ætas  
 Corpus agit tremulum, & jam pridem effœta senectus  
 Exercet pigro consumptas sanguine vires,  
 Ultimus ossa calor sua sensim linquere sensim  
 Cæpit & extremus leti subvolvitur ictus.

Quis



EPICED.

7

Quis fasces hominum rerumq; tenebit habenas  
 Me mea post tristes concedat ut alma per auras  
 Ad manes mea vita suos corpusque relinquat?  
 Jam me quid me celsus honos estirpe meorum  
 Extulit, & summis affixit gloria rebus  
 Illustres animas, longaque ab origine gentem;  
 Illicet occidimus patres mecumque nepotes,  
 Cunctaque me seculo veniente profundior ætas.

Seu\* Babo, seu Gvelfi majorum secula nostri  
 Sanguinis autores recitat secreta vetusti  
 Quos facies ævi, fuerint, ab origine Teucri  
 Sive Columnesum patres, Busiride tristi  
 Quos quondam trucior Romani Juppiter Orbis,  
 Ad latus Hercyniæ Latiis ejecerat oris,  
 Vixerunt, generis vixi spes unica tanti,  
 Totque uno, ut morior, pereunt in funere Reges.

*\*Cognomento Ruthenus Comes de Robr & Abensberg, qui Anno 1015 tempore Henrici Sancti Cesaris floruit, de quo Job. Aventinus & Bas. Heroldus hist. Caf.*

Vixerat Æmilianus adhuc in stemmate gentis  
 Ruthenæ, in clypeis, interq; insignia jussa,  
 Fædera quem, pax quem, populoq; æquata paterno  
 Jura, animusq; sacrâ nonnunquam Pallade cultus  
 Commendant mundo, sancti sacer Arbiter orbis.

Vixerat Henricus vatum labor arduus ævo  
 Nobiscum nostro, sua qui diplomata nostris  
 Patribus & largos cum nomine Cæsar honores  
 Crediderat, multum de se testatus habendo.

Ah titulus nomenq; perit. Quo prælia tandem  
 HEINRICI, studiis Virtusque asperrima belli,  
 Prælia juxta Istrum quæ tunc Augusta Tiberi  
 Noverat, & geminæ victrix fiducia dextræ?  
 Letheis traduntur aquis, oblitterat ætas  
 Arma, viros, tantiq; abolescit Gratia facti.

Sic genus antiquum & regnata parentibus arva  
 Secum agit, secum proavos ex ordine reges,  
 Magnaq; facta Ducum, quorum venit ultimus hæres.

Dixit: & insolitus mugire per aëra clangor

B 3

Audi-



Auditur, rerumque Pater cui summa potestas  
 Auratum intonuit limen bipotentis Olympi,  
 Succutiturq; pavens tellus, concussa Variscum  
 Et referat chaos & sua fundamenta relaxat.  
 Sollicita extremos se percepisse precatus  
 Mente Pater multum terram testatur & astra.

Dixit: & exanimes placidâ vi deserit artus  
 Fessus & æternas oculi clauduntur in umbras.

Interea sine spe foetus, sine nominis usu  
 Matris adhuc latitat tenebris & ventre sepultus.  
 O quas tunc lachrymas, ô quæ suspiria mater  
 Pectore ducebas, misto inter gaudia fletu;  
 Cum sibi maternâ species formaret in alvo  
 Perque suas natura vias componeret intus  
 Postuma: quæ tacitis pulsabas sydera votis,  
 Pondere maturo poterâs ubi proxima vinci.  
 Arcæ, ut confusi contermina rudera lapsus  
 Signa darent. precibus frustra tot inanibus ici  
 Rebatur quoties se suspirare salutem,

Quisque retentaret patriæ, Ruthenaque sceptrâ,

Sed modo perculsi trepidantes pectoris æstus  
 Sublevat HEINRICI dextro virtutis avitæ  
 Mascula nata satu tantundem infantia seri.

Sperare incipiunt majorq; minorque salutem  
 Pompa clientelæ, & melius confidere rebus  
 Festinæ obsequio civilia nomina plebis.  
 Ultima spes votum supra pinguescit, ut, ac si  
 Præclaras res ipsa minas à fine probasset,  
 Mulceat adfectas nimia dulcedine mentes.

Sic Nostro sublime genus natura creato  
 Credidit, ingenium & mores sublimius idem.  
 Est aliquid, fateor, censeris sanguine patrum,  
 Et numerare senes in curribus Æmilianos,  
 Seu sua cum Marte aut sua qui commercia Phœbo  
 Olim habuere, diu sepelit quos longa vetustas.

Sed



EPICED.

9

Sed propriâ generis seriem distendere laude,  
Et titulis ornare novis, hæc proxima Divis  
Gloria, nec fas est temerè hanc transcendere metam:

Vix ubi jam imbellis, fraudataq; viribus ætas  
Maternas secum fandi subvolveret artes,  
Accipit haut cassis venerari Numina votis,  
Quæ rerum docuit sator, orandique Magister;  
Firmat & innocuâ docilem pietate juventam  
Lippoldus superi quo non metuentior ullus  
Numinis, & nivei fuerat fervantior æqui.

At quantuo stimulo puerum quis fervor agebat;  
Palladias animum penitus dimittere in artes:  
Et docti æternis studii impallescere curis,  
Seu Latix, seu Graja sacrae commercia linguæ  
Verfet, & Aufonii Galliq; effamina cultus?

Si Labyrinthæis fineret Symphonia laudes  
Multiplicata notis, curarum dulce levamen,  
Et decus in templis, nostrum transferre cothurnos  
Socum ad majores inniterer, arte canendi  
Teque triumphali maectarem Augusta potestas  
Nomine condignum, palmam Sirenibus ipsis  
Qvum facis ambiguum, juvenem seu fortè laborem  
Soleris, superos animesque in gaudia cœlos,  
Seu fallas cantare bonus mæsta ocia vitæ.

Purpureo teneras vix dum lanugine malas  
Inscriptus, placido cùm ter prolixus ab ore  
Dulcius aërio manabat nectare sermo:  
Tumque gradus famæ modò limine scanfilis imo  
Cæpit, & immensum juvenis descendit in æquor.  
Argyropen illustrem urbem quam Junia Peitho  
Æmula Romanæ sub secla profunda nepotum  
Nominis æterni famâ traducere callet,  
Testor. Abhinc votis vix ulli adeunda parentum  
Ardua contigeras victor, quo grandior ætas

Deficit,



Deficit, incipiens inde, inde exordia ducens  
 Prima, ubi finis erat. Verùm, ô! rarò ignea tanti  
 Vis animi Hospitium moribundi corporis ardet,  
 Augustasq; moras virtus effæta minatur.

Non secus incertâ quondam Philomela sub umbrâ  
 Dulce gemit moriens, & mulcet carmine sylvas:

Aut yada Mæandri propter, vel stagna Caystri,  
 Cyghorum liquido ore vocant instantia fata.  
 Secla atque advertunt venientem carmine mortem;  
 Suavidicos sicuti monitûs, atque omnia mella  
 Explebas moriens mellito flumine linguæ,  
 Ultimus ac ipsos gemitus lassabat Hymettos.

Jam sacra canities albo incandescere flore  
 Cæperat, & cano multùm venerabilis ævo  
 Barba nivere; tamen ceu flos, cùm ferreus imber  
 Ingruit, omne decus spolians: vel pestilis Auster  
 Afflat, & auratos urens extinguit honores.  
 Flammea seu quando radiati Hyperionis agros  
 Fulmina comburunt, vitalis & aufugit humor:  
 Heu sensim sensimque tuo de corpore vita  
 Blanda fluit, vanasque animus differtur in auras.

Nunc vos pallentesq; genas, collapsaq; membra,  
 Desuetosq; oculos spirabile ducere lumen  
 Aspiciate ô cives, mœsta ac deformia visu  
 Omnia, postquam animus terrestria transiit hospes,  
 Et procul excedens ardenti insedit Olympo,  
 O rerum fatiq; vices, exosaq; terras  
 Jussa Deùm, patriæ lux magna excessit & ingens  
 Gloria collapsa est, in cœlum Heroe recepto.

Omnis adest ætas Superos & fata queruntur.  
 Ac sibi sæpè suum in vivis superesse reposcunt  
 Dulce decus. Sed frustrâ homines! excussa sagitta  
 Nervo, improvisas secatur irrevocabilis auras,  
 Extemplò, & nusquam nisi quo defixa moratur,  
 Errat enim quisquis fatales increpat horas

Nescius



Nescius, articulis numerum Proserpina cautis  
 Computat exutum cœlesti lucis honore;  
 Ne quis crediderit precibus Plutona moveri,  
 Fatalique senem fraudaverit ære Charonta.

Quotquot humo vivunt, tot humo servantur humandi,  
 Cur ô cur rigidâ fati stant omnia lege?

Heu! magis HENRICO lachrymabile parcere numen,  
 Assuetumque minus præcidere Parca tenorem  
 Tentaret. Miseri sed quid causamur? eundum est,  
 Ibimus hinc omnes. Incisa adamante severo  
 Lanificum poterit, quæso, quis vertere jura?

Nonnihil at nostros poterat fovisse dolores,  
 Quod pater in senium vergentes transit annos,  
 Venit & extremam cœlo indulgente senectam,  
 Mortalesq; dies : & adhæc non totus in Euros  
 Elabi didicit, quando producitur ætas,  
 Virtutum numero demensa, & laudis honore,  
 Quem neque Sol vesper, neq; fors intercipit atra,  
 Nobile dat vivax, vivacem & gloria famam.

Te memores celebrare senes, celebrare minores  
 Post obitum pergunt, quin sanctior ordo poëtæ,  
 HEINRICE, hi patrem flebunt, hi dulce suorum,  
 Præsidium: flebunt pueri, innuptæque puellæ,  
 Jam jamque occipiunt. procerum lugentia luctus  
 Quot (viden?) in partes veniant, quot pectora, Mater,  
 Funeraque induvis sectentur Amazones amplis,  
 Funera defuncti Herois que tuique mariti,  
 Quo cum debueras crebro ditescere partu,  
 Et nunc instantem gnatis munire senectam,  
 Magdalis, & placidos vivendo condere soles.  
 Edimus heu tecum signa haut obscura doloris.

En terræ soboles, en paupera ruris egestas,  
 Negligit arva, pigro lachrymasque adspersit aratro,  
 Immites queritur morbos & crimina sortis,  
 Quæ nec Apollinæ didicerunt flectere curæ,

C

Sed



Sed tenuit mors sola, & ineluctabile fatum.

O si magnificis jam centum in mane colossis  
Delubrum audires ferales ducere lessus,

HENRICE, ut contexta nigro velamine pictos  
Mœreat ara oculos, & tristes condant in umbras

Suggestus sese, nil præter vulnera clamans.

Despice sacra scholæ (si vel mortalia curas)  
Quæ quondam Augustis Generose palatia Musis  
Formaras, nutrita tuo jam fœnore longo,

Curia, & afflictum plebes jurata clientum,  
Cives, abjecti trepidant formidine cives,

Flectique indociles ultrâ non fata morantur,

Quis porrò ventura notet, dubiisque Prometheus  
Casibus occurrat, cautusque examinet ante

Fortunæ eventum, in medium quis consulat? o jam

Hærent verba seni, expectat sua damna juvenus.

Cunctorum dolor unus adest. De Paupere turba,

Patria præteriens HENRICI Regna, vel Irus,

Vel lare turbatus pater, aut sacra buccina verbi

Qui fuit, assiduo ducet suspiria luctu,

Extinctumque gravi deflebit funere patrem,

Patrem qui miseros olim bene pascere cœtus,

Jejunam & lenire famem consuevit egeni,

Aut grave donato frigus defendere panno.

Quis putet exiguo tantas spes posse sepulchro  
Componi, & tumulis, saxoque hanc corporis umbram,

Damnari! Pectusne queat putredine solvi

Istud amans inopis, miserescens istud egentis?

In cineres vergant querulis quas questibus aures

Applicuisse æquas poterat, seu juris iniqui

Vis petiit, nostri seu læva insania belli?

Illâne Cimmeriâ damnentur lumina nocte,

Quæ, quando obscuros aliquis neglectus amictus

Lazarus atque Hecale pauper convenerat esum

Ante fores, felix pascebat gratia semper?

Cui



Os dulce, os placidum neque vox, neq; verba sequantur,  
 Cui non Sirenes, Amphion, certet & Orpheus,  
 Ipfus & Hermogenes, animet seu cœlitus hymnos,  
 Sive sui teneat captos dulcedine cantus,  
 Seque sinant homines facti novitate moveri?

Servam animi brutò linguam obmutescere saxo  
 Posse, cui gemitus ad sidéra volvere magnos  
 Gratum erat, & totum precibus convellere cœlum,  
 Seu rubicunda dies poscente incessit Eöo,  
 Seu seras veniens variavit vespere umbras.

Ecce pedes, ô ecce manus in munia natas  
 Munera iis, rerum quos fors sæpè indiga versat,  
 Omnia præcipites aderant malefida juvandi,  
 Hasne unquam rosura manus deformis Echidna,  
 Hosne pedes fœdi audebunt absumere vermes?

Hei miserum! præcepsne metis sic omnia fatum,  
 Nullique advertis placitos Rhamnusia vultus.

Ite oculi in lachrymas, quid enim nisi flebile restat,  
 Ite vagi sensus; faciem prædicere funus  
 Naturæ memini (si mens non læva fuisset)  
 Communem luctu, quæ tùm pullata lacernam,  
 Induit atratam, & lugubri examine duxit  
 Cœlestem pompam, & terrestria quæque, fretumq;

Sol, qui lucifluis orbem complexus habenis  
 Ævi labentes in secula digerit annos,  
 Esse nefas (tantique mihi est) cœlestibus iris,  
 Et cōclamatis finem aspexisse ruinis  
 Sensit, & Hesperio patitur vel in æquore mergi,  
 Vel testatur adhuc ceptum sub nube dolorem  
 Usque latens, atrâque notans ferrugine frontem.

Hinc soror attonitas iterumque iterumque juvencas  
 Raptat, & igniferi trepidant formidine currus,  
 Indignati obitus: hinc lumina Parrhæsis aufert,  
 Pallefcunt soliti HENRICI cum manibus ignes,  
 Et superi sua damna dolent. Sua lumina terras



Deficiunt etiam, quorum ultima secula luce,  
 Caligant, tumuloque vident succedere cæco.  
 Spargere odoratus pomorum è floribus auras  
 Dediscit dulces Zephyris fragrantibus aër:  
 Æolii fratres, turba ista phrenetica, contra,  
 Prælia discordes discordi à cardine tollunt,  
 Luctificique satis dant argumenta doloris,  
 Et conjurati pariles conferre querelas  
 Exequiis, multisque lacefsere planctibus auras,  
 Nunc agitata alibi atque alibi per inania pugnas  
 Instaurant: piceâ vultum caligine tectus  
 Humentem ruit hinc, & se Notus incitat alis,  
 Ac gravidis hyemes glomeraturum imbribus atras  
 Indicat, Arctois illinc assurgit ab oris  
 Horrifero Boreas strepitu, & contraria torquet  
 Bella furens: validis Aquilo modò flatibus horret  
 Turbineam effundens noctem: sed & uvidus Auster  
 Insonat, atque armis contrâ succumbere nescit,  
 Sævit & ipsa feris multùm stridoribus aura,  
 Queis dedit in præceps se crebra arbosque domusque,  
 Nonne Deus, Deus ipse genus mortale sub undis  
 Perdere, & ex omni pluvias devolvere cælo  
 Deucalionæas noctuque diuque minatur?  
 Scilicet umbriferis exceptus montibus imber  
 Liquitur undatim in lachrymas, & præscia mortis  
 O Heros Generosetux, magnique doloris,  
 Absorpsit natura gelu, sibi casside Corus  
 Diffregit rigidas hyemes, glaciemque nivesque,  
 Et lachrymans, guttisque humectans grandibus ora,  
 Advocat in cassum manes. Ignoscite Patres  
 Si vestris indigna loquor monumenta querelis.  
 Fluviorum soboles quàm lentior exit Elyster,  
 Et sua dispertit Variscos flumina ad agros,  
 Ut possit plorare magis, quàm fiebilis arces,  
 Augustasque domos, Phrygiisque innixa columnis

Tecta



Tecta Ducum intuitus, lævo delabitur alveo,

Vitifer & planctus per pinguia culta volutos  
Francorum Mœnus secum asportasse laborat.

Quis patrem à lachrymis, mortales, temperet Albim,  
Cernite deformesque genas, pallentiaque ora,  
Cæruleoque simul tonsum de vertice crinem,  
Et lesûs udâ meditantem in nocte frequentes.

Ipsa celebratum turbavit fama Visurgin  
Funesta, & positos vicino sidere Bojos,

Maxima quæque leves nemorum subtendit in auras  
Hercynia, & celsò de monte flagellat Olympum,  
Nuncius indici feralem acceperat actum,  
Varisco indici mundo nova sæcla dolorum.

Tendere si forsan detur convallibus iisdem,  
Aspice non modico tunsam præcordia planctu  
Geram, non Geram sed tristia busta, viator.

Ex æquo mors ista nocet: non unius umbram  
Funeris urna tegit: cum Principe quilibet exest,  
Quisque suum gustat præsentem in funere funus,  
Dum patriæ expirasse salus ruit, occubat omnis,  
Bustum omnes commune capit, dum plurima letho  
Occasura, poli feriunt suspiria valvas.

Hei mihi, qualis erat quoties miracula Dresdæ  
Dædala magnificis Pater illustraret arenis,  
(Quas labor antiquo non vinceret Isthmius olim,  
Robore) & in ludis faceret Fortuna potentem,  
Principibusque parem: & quantum mutatus ab illo  
HENRICO, egregiæ quondam qui mœnia Pragæ,  
Pragæ, multigeno quæ cive superbit & albi  
Montis ad aërias ducit fastigia nubes,  
Intrabat, Divum juxta comitatus euntem  
Isthuc Rudolphum, gemino cum sydere fratrum  
Saxonici cœli, in terrâ qui Principe Reges  
Pollebant, patriæ lectissima germina Rutæ.

Miratur niveis conspectum moribus aula



Omnis, & integros speciosa calumnia cultus,  
 Quo poterat pacto virtus imitamen haberi.  
 Cæsar apex rerum, Cæsar ter maxima mundi  
 Gloria Romani, prior argumenta futuro  
 Suggestit affatûi, & multas disserit horas.

Quot decora & titulos tibi tunc potiora merenti  
 Fata reservabant, ut Divi Cæsaris esses  
 Scævola, consilii muniret in obvia rerum  
 Quem data vis, regni labor & communis haberet.

At tamen ingenium pudor & sanctissima morum  
 Temperies oculos servat, nec adultera vulgi  
 Gloria sollicitat mentem super astra vagantem,  
 Secum habitare ratus tantos excusat honores.

Cæsar at, ô virtus quantum conspecta per omnem  
 Se radiis tua se differt illustribus orbem,  
 Non minus ut serpens oculis Epidaurius olim  
 Ulterius cernes animo sacra publica rerum.  
 Et modo verba fidem, pactum documenta sequuntur.

Suscipis augustæ felix insignia Spartæ,  
 Usque verecundis castigans munia causis,  
 Personam exornas, iussæque vicaria curæ  
 Ad sacrum os Regum tractare negocia præstas.

Hunniadem Cæsar referens virtute Mathiam  
 (Ad sua cùm subitis traheretur fata Rudolphus  
 Fatis) Matthias, ubi belli asperrimus arte  
 Cœpit in Istricolis armis descendere gentes,  
 Grassantique nihil victor decedere Furco,  
 Te petit, & Dominis de pluribus eligit unum  
 Cui tacitam curas animi seponat in aurem,  
 Mandet & illustres legata gravissima partes  
 Curatum, atque acie mirâ rationis & æqui  
 Ingentes Regum pro se componere lites.

Firmat id ablato super æthera Cæsare Cæsar  
 Austriades dum fræna tenet, momentaque rerum,  
 Ut sua Germanis bene det, sua jura Bohemis,

Panno-



Pannoniasque sacris confirmet legibus urbes,  
 Ceu juga priscus Atlas fulcibat vertice cœli,  
 Robore consilii patriæ Cor amabile patri  
 Sceptra juvas, volucresque sacras in regna laboras.

Sic virtutis amor, divesque peritia rerum  
 Doctrinæque vigor, quo mens prudenter in omnes  
 Pro re consilii species se dedere novit,  
 Vexit adorandum meritorum ad culmen honorum.

Sed quæ parva queror, quot mens elusa dolore,  
 Vota ruinosis jacit exportanda procellis.

Quod voveo, haut lachrymis, haut est penetrabile votis,  
 Quod fleo non gemitu, non est revocabile questu.

Non secus ac radios tingi Sol, currere tandem,  
 Decrepitos patitur caligine fessus & undis,  
 Languit, æternamque sibi succedere noctem,  
 Ter sitiit, merito raptim occursum Olympo.

Nec mora, pennigeri juvenes, gens edita cœlo,  
 Gens intenta piis, gens sancti conscia lethi,  
 In turmas glomerata suas circumundique culmen  
 Augustum volitat, nexas plaudentibus alis  
 Deductum choreas, omnemque exposcit Olympum,  
 Atque animam membris, & inani parte relictam  
 Corporis, ad superi penetralia lucida regni  
 Certatim vectant, certatim carmina fundunt  
 Cœlica vernanti, cœli formosa Juventus.

Haut aliter laqueis quùm fors & carcere rupto  
 Immitis cavæ, seu serva ministra Tonantis,  
 Seu Palamedis avis properâ properantior aurâ  
 Carpit iter latum Zephyris per inane vocatis,  
 Et claro rumpens nebulas atque aëra plausu  
 Tranat, & alituum nubes applaudere gaudet  
 Victrici, & plumâ modò versicolore per auras  
 Fulgentes aliam, & cœli convexa petentes  
 Per loca nant superùm, ventorum immensa secando  
 Intervalla, humeros atque alternando volucres,

Signa



Signa inter cellos visum est micuisse penates  
 Insolitâque domum perfundi luce supernam :  
 Succusumque chaos, vitrei & plaga maxima cœli  
 Mugit, hanc autor rerum ac suprema potestas  
 Miscuerat tonitru mentem excepturus amico  
 Et vultus habitu remeantem & cordis ovatu.

Non secus ac natum, fratres carique parentes  
 Prospera si multisquem jam volventibus annis  
 Lux reducem reddat, certant hinc oscula iidem  
 Præripere, hinc illi lætantur & atria circum.

Hoc mæstam quicumq; modo dirumpere lucem  
 Novit, & immensi spacium possedit Olympi  
 Omnibus à numeris, omnique ex asse beatum.  
 Censemus solidè, humanâ nec lege creatum.  
 Sidera sic migrent, sic scandant æthera manes,

Quàm bene, quàm optato felix in littore puppis,  
 Constitit acta salo, durisque exercita Coris  
 HENRICI tandem, emensi quodcumq; pericli est,  
 Seu Scyllæ fremitus, seu formidata Charybdis,  
 Aut scopuli infames torva Acroceraunia visu,  
 Obstiterint; patri rerum, & tibi maxime Jhova  
 Vota coronatus jam solvit debita vector.

Sumpta anima est longè super aurea sydera, longè  
 Auroræ thalamos supra, & laquearia mundi  
 Ardua; ceu vastus, cursuque exercitus amnis,  
 Seu pater Euphrates, seu latè extensus Itargis,  
 Oceano invento manet, & non labitur ultrà;

Haut secus illa diu & multum jactata residit  
 Cœlo, & retrorsis damnat succedere plantis.

Jam visu proprium naturæ addiscere fontem;  
 Æternum astrorum Regem, sæclique parentem,  
 Sancte potes, potes HENRICE, en exercitus omnis  
 Cœlorum, aërias equitantiaque agmina nubes  
 Aligerûm, tete Capitoli in sedereponunt,  
 Suppeditantque auro insignem, gemmisque coronam.,

Atque



W. T. M. J. (1)

ULB Halle 3  
004 527 771  


f  
TA → OL

mit M, 27, 28 verknüpft

VD 18

VD 18  
VD 17









19

MANES RUTHENICI  
*Sive*  
 OBITUS  
*Illustris ac Generosissimi DOMINI,*  
**DN. HENRICI**  
 Jun. & h. t. Senioris  
 RUTHENI,

Dni. à Plavia, Dynastæ Graitziæ, Cra-  
 nichfeldi, Geræ, Schlaizæ, & Lobenstein, &c.  
 S. Cæsareæ Majestati à Consiliis &c.

*Inter ceteras ingentes virtutes Musarum Patroni*  
*incomparabilis,*


III Non. Xb. Anni clō lōC XXXV. in.  
 arce ad Elystrum Dominicâ accidit,

*In celeberrimâ Wittebergensium Academiâ VII<sup>a</sup> Iduum*  
*Februarii 1636. cum pridie Non. ante Geræ magnificentissimis exe-*  
*quis peractum esset funus,*

Ad  
 Amplissimum Patrum Academicorum  
 confessum

*In Auditorio Majori decantatus ac deploratus,*  
 Ab

JOHANNENOLLIO Torgensi.



WITTEBERGÆ,  
 Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

ANNO MDCXXXVI.

